



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2. Quis in Feudum dare & quatenus alienare possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

profusus in cognitus. \* 1. Verius tamen & com-  
munius obtinuit, esse nominatum: quia tamet-  
ur a jure tempore non habeat nomen, habet tamen  
a confusione, nempe hoc, Feudum. Quodli-  
cet frequentius ita sumatur, pro ut significat  
temporalis, quæ in feudum conceditur: tamen  
quandoque etiam sumitur, ut ipsum contra-  
dignum delignet feudalem, seu pro ipso contractu  
fidelitatis.

2. Atque hoc pacto sumptum nomen Feudi  
domini potest, quod sit benevolæ & libera rei  
immobilis vel equivalentis concessio, cum  
translatione utilis domini, reteuta proprietate  
ea directo dominio, sub onere fidelitatis, &  
obsequii personalis exhibendi.

Dicitur, benevolæ & libera concessio: ut  
distinguatur à Locatione & Emphyteusi, in qua-  
bus ius rei conceditur, sed propter pensionem  
& annum canonem. In puro autem Feudo non  
solvit penitus vel canon, sed obsequiū tantum  
personale exhibetur. Quod si aliquando in  
Feudo aliquid solvatur in recognitionem direc-  
ti dominii, ex ea parte declinat ad naturam em-  
phyteusis, & deficit a natura Feudi.

Dicitur, rei immobilis; quia res mobilis in  
feudum dari nequit, Tit. 1. lib. 2. De usibus Feu-  
dorum. Nomine autem Rei continetur non  
solum res soli seu fundi, sed quidquid solo seu  
fundo cohereret, ut aedificia, vineæ, arbores in  
superficie soli constitutæ, item ea, quæ immo-  
bilibus comparantur, ut servitutes: nam &  
in his quasi possessionem & quasi dominium esse  
dicimus, 1. Servitutes D. De servit. urban. pradi-  
cum. I. Possessores 2. Cod. De fundis patrimon. lib. 1.  
Item annui reditus, qui ex aliquarē immobili  
debetur, vel saltem ex perpetua aliqua negoti-  
atione, ut cum de cella vinaria feudum con-  
ceditur, cap. 1. § sciendum de feudi cognit. Si quis  
autem ignorans rem alienam, aut alteri obliga-  
tum, in feudum accepit, potest agere, ut alia  
res ejusdem bonitatis & estimationis sibi de-  
turi feudum, cum prima evicta: fecus, si scien-  
tus: nisi speciali pacto sibi prospexerit, s. 1.  
Tit. de investitura dare aliena lib. 2.

Dixi, sic ut in eum transferatur utile domi-  
nium: ut distinguatur ab usufructu simplici,  
qui jure servitutis debetur, & quo non trans-  
fertur utile dominium, estque servitus per-  
sonalis, quæ morte usufructuum exinguitur.

cum interim Feudum transeat ad hæredes ma-  
sculos, imo etiam ad fœminas, si de his no-  
minatim sit dictum. Quia vero in feudo trans-  
fertur dominium utile, ideo res alienari pro-  
hibita in feudum novum dari nequit, c. 1. Tit.

Per quos fiat investitura lib. 2.

Additum est, sub onere fidelitatis, &c. quia  
si res aliqua in feudum detur, ea lege, ut nihil  
servitii præstetur domino, erit impropiè Feu-  
dum, quod Francum; id est: liberum appellat.  
Tenerunt autem Vasallus domino direc-  
to non solum fidelitatem promittere, sed &  
jurare: de quo juramento vide Tit. De nova  
forma fidelitatu lib. 2. Illud tamen de substantia  
feudi non est quia remitti potest, Tit. 3. Per quos  
fiat investitura § nulla lib. 2.

3. Differt insuper contractus feudalis ab  
emphyteusi in eo, quod, omnia inter aliquos con-  
troversia de feudo, de ea dominus cognoscet:  
non autem in emphyteusi. Præterea Vasallus  
sive feudarius non potest sine consensu domi-  
ni feudum oppugnare; emphyteuta vero po-  
test fundum emphyteuticum. Similiter feuda-  
ratus non potest alteri feudum absque consen-  
su domini dare, quia maior domino obligatus,  
nec potest alium in suum locum subrogare, em-  
phyteuta potest jus suum alteri cedere, quia  
non ipse, sed res emphyteutica est domino obli-  
gata. In Feudo fœmina non succedit, nisi sit  
foemineum, aut nisi id expresse actum sit, quia  
nequit personale obsequium æquæ ac vir præ-  
state: at vero tem in emphyteusin accipere po-  
test, quia æquæ ac vir rem meliorare potest, qui  
est finis emphyteusos. Feudarius non cogi-  
tur domino obsequium præstate, nisi illo pe-  
tente: emphyteuta vero tenetur constituto  
tempore pensionem solvere. Feudarius deni-  
que potest se abdicare feudo, sine volunta-  
te domini: non item emphyteuta emphy-  
teusi.

## S. II.

Quis in feudum dare; & quatenus  
alienari possit,

1. Dare potest quilibet laicus, rerum suarum  
liber dominus.

2. Clericus quoq; bona Ecclesiastica non item.

3. Excep-